

lares, non autem ad Parochos pertinere. Similiterque declaraverat die 16. Decembris 1661 super controversiis, quae inter Parochos civitatis Placentini et monachos monasterii s. Sixti Congregationis Cassinensis ordinis P. Benedicti occasione funerum erant exortae; prout etiam die 17. Novembris 1671 ad instantiam Procuratoris generalis dicti ordinis fratrum minorum declaraverat, Parochis, qui associabant cadavera defunctorum, qui in ecclesiis Regularium sepeliebantur, non licere ea occasione ingredi ecclesias Regularium, sed ad januas ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera hujusmodi et solum posse benedicere ac dare ultimum vale, officiaque et alia munia, quae in similibus fieri solebant, debere fieri a Regularibus, non autem a Parochis.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod licet praefatae dispositiones seu declarationes essent adeo justae et militarent eadem rationes illas observandi circa cadavera, quae sepeliebantur in ecclesiis domorum et collegiorum dictae societatis Jesu, nihilominus assidue exoriebantur gravissimae discordiae et scandala ex eo, quod Parochi illis stare nollent, in gravissimum praefatae societatis et christifidelium, qui post obitum sua cadavera in ipsius societatis ecclesiis sepeliri volebant, detrimentum; ideoque supplicato ut Congregatio praefata declararet supradicta decreta seu declarationes circa cadavera, quae in ecclesiis domorum et collegiorum praefatae societatis Jesu sepelirentur, perinde observari debere ac si ad instantiam ipsius societatis emanassent.

§. 2. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congr. Eminentissimorum s. romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita

oratoris precibus benigne indulgens censuit dandas esse petitas declarationes saepe alias editas easque etiam in praenarratis ecclesiis societatis esse observandas, videlicet, Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januas ecclesiarum, ibique solum benedicere et dare ultimum vale: Officia vero et alia munia, quae in hujusmodi monasteriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis. Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi aliique de Clero saeculari majorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu alia ipsius Cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent.

§. 3. Functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, contrariis quibuscumque circa suprascripta omnia minime obstantibus. Romae 6. Maii 1672. (L. † S.) F. Cardinalis Brancarius, C. de Vechis, Archiepiscopus Athenarum.

§. 4. Cum autem, sicut praefatus Alphonsus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communitur summopere desideret: Nos specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat conse-

quendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praesertim auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 3. Augusti 1672.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 25. Ed. Luxbg.)

#### 17) Electio.

Vd.: *Sepult.* (Parvul.; Regul.)

*Ad dub.*: An ad validitatem electionis sepulturae requiratur testamentum in ultima infirmitate vel sufficiat, quod deligatur antea per alium actum publ., qui testamentum non sit? S. C. C. resp. censuit non requiri necessario testamentum. Die 13. Febr. 1666.

*Ad dub.*: An sit nulla electio sepulturae, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita et non in morte? S. C. C. resp. censuit non esse nullam. *Ibid.*

*Ad dub.*: An valide eligatur sepult. coram duobus *testibus*? S. C. C. resp.: Esse validam. *Ibid.*

*Ad dub.*: An sit valida electio sepulturae, quam quis sive sanus sive infirmus coram parcho elegerit? S. C. C. censuit: Esse validam, dummodo Parochus non testetur ad proprium commodum. *Ibid.*

*Ad dub.*: An electio sepulturae per nutus et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida? S. C. C. censuit: Esse validam, dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis. *Ibid.*

Sepulturam eligere licet parentibus, in quacumque ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regul. ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum. S. C. Ep. et Reg. 12. Jan. 1640.

Quicumque sive impuber sive adultus sive infans, qui sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro suorum majorum. S. C. C. die 21. Oct. 1616.

Restituendum esse cadaver ecclesiae, in qua defunctus sepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta. S. C. C. 1. Apr. 1650; 22. Septembris 1657.

Illi, qui coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, in Regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, sunt in dictis ecclesiis sepeliendi sine praepudio tamen parochialium. S. C. Ep. die 11. Dec. 1815.

Electio sepulturae sufficienter probatur per duos testes fide dignos. S. C. Ep. die 28. Aug. 1589.

*De sepulturae electione Graecorum* vd.: *Unctio in Baptismo Italo-Graecorum.* N. 11.

Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet



ecclesia ad id jus habente: *Communis* per claros textus in cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Fraternitatem* 3., cap.: *Cum liberum* 6., cap.: *Cum super* 8., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Cum quis* 2. de sepulturis in 6.

Et si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam regulari, et per vim Parochi aut alterius non ibi sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiae electae, textu expresso in cap.: *Ex parte* 5., cap.: *Cum liberum* 6. de sepulturis, cap.: *Animarum* 2. eod. in 6. Et sic pluries decrevit S. Congr. in facti contingentia.

Vd. Alexandri VII. constitut. incip.: *Alias pro parte*.

*Qui sepulturam non elegit*, sepeliri debet in sepulchro Majorum suorum, textu expresso in cap.: *Nos instituta* 1. de sepulturis, ibi: „Statuimus, unumquemque in Majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus docet“, cap.: *Cum quis* 2. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6. ibi: „Is qui... non electa sepultura decedit... in ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari“.

*Majorum nomine ad hunc effectum veniunt Pater, Avus, Proavus et alii ascendentes in linea recta*, l. juris consultus 10. ff. de gradibus, l. appellatione 51. ff. de verb. significat., *Panimol.* decis. 5. adnot. 3. n. 15., *Barbos.* de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 32. Decretal. tit. 28. n. 10. et alii passim. *Si majores non in uno et eodem sepulchro sepulti fuerint sed in diversis*, verbi grat.: Avus, Proavus, Abavus alique omnes majores in uno, Pater vero in alio, tunc secundum Glossam in cap.: *Is qui* 3.: Antiquo, de sepulturis

in 6., *Engel* l. 3. Decretal. tit. 28. n. 6., *Reiffenstuel* ibid. n. 11., *Silvester* verb.: Sepultura q. 8. et alios, filius decedens, non electa sepultura sepeliri debet in sepulchro majorum et non Patris, nisi Pater pro se et posteris aliam sepulturam expresse elegisset. Et id tenent et probant, ex quo semper in jure fiat locutio in plurali, ut patet in cap.: *Nos instituta* 1. de sepulturis, ibi: *in majorum suorum sepulchris*, cap.: *Fraternitatem* 3. eod. ibi: „Patrum aliorumque parentum sepulturis“, quo nomine etiam majores veniunt cit. l. juris consultus 10. §. 8. ff. de gradibus affinit., ibi: Parentes usque ad Tritavum nominantur, et cap.: *Cum quis* 2. de sepulturis in 6., ibi: „Cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri“, cap.: *Is qui* 3. eod. in 6., ibi: „In qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet“.

Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod filius decedens, non electa sepultura, debeat in tali casu sepeliri non in sepulchro omnium majorum sed in sepulchro Patris, dummodo Pater ex propria electione et non casu vel ex aliquo accidenti sepultus fuerit in sepultura diversa ab antiqua majorum; sic late *Oldrad.* Cons. 24. n. 2. vers. contrarius usque ad fin., *Abbas* in cit. cap. *Nos instituta* 1. n. 5. de sepulturis, *Spere.* tom. 1. dec. 88. n. 9. cum aliis ibi relatis, *Barbosa* de offic. et potestat. Parochi cap. 27. n. 32. et lib. 2. jur. eccles. univers. cap. 10. n. 32. medic. de sepultur. qu. 7. n. 22. 1 part., *Panimol.* decis. 5. adnot. 3. n. 19. ubi dicit, quod haec est receptior sententia, *Ventriglia* part. 1., *Annot.* 52. §. unic. 24., *Matthaeucc.* official. cur. quoad sepulturas cap. 48. n. 23., *Zecchius* de republic. ecclesiast. lib. 1. cap. 28.

de Parocho num. 27. vers.: *Fallit, Cardin. Petra* tom. 2. commentar. in constit. 2. Honorii III. n. 25., *Pirching* lib. 3. decretal. tit. 28. n. 4. et alii; ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando Proavus, Abavus et ascendentes majores sepulti sunt in uno sepulchro, Avus vero et Pater sepulti sunt in alio, et non quando omnes majores sepulti sunt in uno et solus Pater in alio. Sicque non videntur dissentire a doctoribus primae sententiae.

*Et revera si Abavus et Proavus sepulti sint in uno sepulchro, Avus vero et Pater in alio, Filius decedens, non electa sepultura, sepeliendus est cum Patre et Avo: Pirching* loco cit. n. 4., *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. *Engel* loco cit. n. 6., *Petra* loco cit. n. 25., *Matthaeucc.* loco cit. n. 23., *Oldrad.* cit. consil. 25., *Barbosa* de offic. et potestate Parochi cap. 26. n. 32. et in cap.: *Nos instituta* 1. n. 2. de sepulturis; *Silvester* loco cit. q. 8. et alii; et ratio est, quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; atqui Filius sequitur originem et domicilium proximiorum parentum seu majorum, Patris scilicet et Avi, et non remotiorum ascendentium, l. assumptio 6. §.: Filius, ff. ad municip., cap.: *Fraternitatem* 3. de sepulturis, ergo etc. Tum quia, in dicto casu, usque satis fit juris textibus ac si in sepulchro remotiorum sepeliretur. Si autem Pater pro se et posteris aliam sepulturam elegisset expresse, tunc utique Filius, ut dictum fuit supra, deberet sepeliri in sepultura Patris, arg. cap.: *Unaquaeque* 3. §.: *Item in novo caus.* 13. q. 2., quia si posteri aliam sepulturam non eligant, in similem Patris electionem consentire sicque ipsis sepulturam tacite elegisse censentur. *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. et a fortiori omnes citati doctores.

*Si adsit sepulchrum gentilitium seu familiare et sepulchrum haereditarium, attendendum est primum et postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulchrum majorum.* Sic cum aliis *Card. Petra* cit. tom. 2. Commentar. in constitut. 2. Honorii III. sect. unic. num. 35., *Matthaeuc.* loco cit. n. 23. vers.: *Sicut; Passerin.* de statu homin. tom. 2. quaest. 187. art. 4. inspect. 4. cap. 2. et alii.

*Etiam infantes, quamvis juxta Rituale romanum tit. de exequiis pueror. debeant sepeliri in sepulchro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in sepulchro majorum.* Sic expresse decrevit S. Congr. Episc. et Regul. in Asculana 21. Octobris 1616 apud *Barbosam* de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 8., *Card. Petram* loco cit. n. 26., *Panimol.* loco cit. n. 18., *Spere.* cit. decis. 88. in fine, et novissime S. Congr. Concil. in Novarien. Funerum 15. Mart. 1704 in respons. ad primum.

*Filii illegitimi et naturales sepeliendi sunt in sepulchro Patris, nisi is in dignitate sit constitutus. Non item Filii spurii, quia isti sepeliendi sunt in sepulchro Matris, nisi sit femina illustris: Silvester* verb. sepultura qu. 8. dict. 4., *Pirching.* loco cit. sub. n. 4. et alii.

*Filii adoptivi et arrogati, si moriantur vivente Patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulchro ejusdem; secus autem si eo jam mortuo decedant, quia tunc debent sepeliri in sepulchro Patris naturalis, cum jam expiraverit in tali casu adoptio: Silvester* loco cit. dist. 4., *Pirching* loco cit. n. 4. et alii.

*Infantes expositi non in sepultura Patris seu majorum sed in sepultura hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi, arg. cap.: Si a Patre* unic. de infantibus exposit.,



*Sebastianus Medices* p. 1. de sepultura. quaest. 7. n. 25., *Ventrigl.* loco cit. n. 25. et alii. Si autem tales infantes non essent expositi in hospitalibus nec hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in parochia, qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in sua respectiva Ecclesia parochiali; cap.: *Ex parte* 5. cap.: *Cum sit liberum*, cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cum similibus.

*Supradicta regula, quod decedens sine electione sepulturae sepeliendus sit in sepulchro majorum, non praecedit e converso, taliter quod, si moriatur Pater vel Avus, sepeliendus sit in sepulchro Filii vel nepotis; et ratio est, quia ascendentes non sequuntur sepulchrum descendendum, nec transversales sepulchrum transversalium, nisi sint haeredes et sepultura sit haereditaria nec sit ibi facta electio, Lovarius* variar. lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 121., *Sebastianus Medices* loco cit. n. 24., *Ventriglia* loco cit. n. 24. et alii.

*Si quis nullam habeat sepulturam majorum nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria Parochia ubi Sacramenta suscepit. Communis* per text. in cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepultur., cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6. Et nullam habere sepulturam majorum censetur etiam Filius ille, cujus majores singuli sepulti sunt in diversis sepulchris, nempe Proavus in uno, Avus in alio, Pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concursus plurimorum, qui ab antiquo in eodem sepulchro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulchrum majorum; unde, cessante hoc casu majorum sepulchro, talis filius sepeliendus erit in sua Parochia: Sic *Ancharanus* in cap.: *Is qui* sub

n. 4. de sepultur. in 6., *Silvest.* verb.: *Sepultura* sub n. 8., *Barbosa* in cap.: *Nos instituta* 1. n. 2. de sepultur., *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. in fin., *Engel* loco cit. n. 6. et alii. Contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulchrum Patris, tenet *Abbas* in cap. 1. n. 6., *Extrav. de sepulturis* et ita de consuetudine servari testatur *Lavorius* variar. lucubration. tit. 2. cap. 11. n. 113., *Sperell.* tom. 1. dec. 88. n. 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo Pater pro se et posteris sepulturam elegerit, juxta dicta supra. Alias non esset, qui non haberet sepulchrum majorum, cum quilibet habeat suum Patrem in aliquo sepulchro sepultum loquendo de Patribus jam suis filiis praemortuis.

*Peregrini pertranseuntes et viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in Cathedrali; advenae autem seu exteri et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua Parochia, sepeliendi sunt in ipsa.* Sic *S. Congr. Episc. et Regular.* in Fulginaten. 3. Julii 1592 rescribens Episcopo: „Etiam circumscripta consuetudine advenas et pertranseuntes in Cathedralibus, et reliquos in Parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverint, esse sepeliendos“, *Sperell.* decis. 87. n. 14., *Lavorius* loco cit. n. 144., *Card. Petra* tom. 2. comment. in constit. 9. Innocent. III. sect. unic. n. 50., *Matthaenc.* loco cit. n. 12. et alii referentes dictae *S. Congr.* resolutionem. Si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore Cathedralis quam Parochiae, esset servanda, ut concordant doctores apud *Sperell.* loco cit. n. 14., *Panimol.* loco cit. n. 43., *Card. Petra* loco cit. n. 50. arg. cap.: *Cum dilectus* 8. et cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine, l. si de interpretatione 37. ff. de legibus.

*Studiosi famuli conductitii, milites, officiales alique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in Parochia, ubi sic habitabant et decesserunt. Communis,* et servat recepta consuetudo, quae non solum est in dubiis optima legum interpret, cit. l. si de interpretatione 37 ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 7. de consuetudine, sed etiam clarae legi derogat; cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine. Miles tamen praesidiarius sepeliri debet in Parochia arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia Parochia, ubi retinet domum apertam cum uxore et filiis. *S. Congr. Conc.* in Romana 17. Aug. apud Ursayam in Miscellaneo sacr. et profan. litt. M.

*Qui habet domicilium in civitate vel castro et ad villam ruralem se transfert recreationis gratia vel ut ruralia exerceat et inibi non electa sepultura nec habens sepulchrum majorum decedat, debet sepeliri in propria Parochia civitatis vel castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresso in cap.: *Is, qui* 3. de sepulturis in 6. ibi: „Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari.“ *Qui autem habet domum hyemalem v. gr. in civitate, et aestivam in rure et sic aequali tempore modo in una modo in altera habitat seu moratur, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit.* Et ratio est, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis aequae principale domicilium habet,*

et sic efficitur utriusque Parochiae Parochianus adeoque sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius Parochia; argument. cap.: *Ex parte* 5. cap.: *In nostra* 10. de Sepulturis, cap.: *Animarum* 1. eod. in 6.

*Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet sive masculus sive femina, dummodo habeat debitam aetatem et a Jure non prohibeatur: Communis,* per text. in cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Fraternitatem* 3., cap.: *Cum super* 8., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1., cap.: *Quis* 2. eod. in 6.

Et potest quis libere sibi eligere sepulturam, etiam extra propriam Patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena: *Communis,* textu expresso in cit. cap.: *Nos instituta.* de sepulturis, ibi: „Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et aliam alienam, dominus enim et magister alienam eligit ut propriam“, juncta Glossa ibidem verb.: *Alienam* id notante de domino nostro Jesu Christo. „Qui natus in Bethlehem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit Hierusalem in sepulchro Joseph.“

*Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus Patronis sepulturae,* quia quod nostrum est, absque facto nostro auferri a nobis non potest. *Sebastianus Medices* de sepultur. cap. 9. n. 4., *Barbosa* lib. 2. Juris Eccles. univers. cap. 10. n. 12., *Ventriglia* tom. 1. Adnotat. 52. §.: *Unic.* n. 3. et alii passim.

*Quoad hunc effectum autem non dicuntur Patroni rectores Ecclesiarum vel superiores regulares sed illi, quibus per dictos rectores seu superiores regulares concessa est sepultura.* Unde in similibus casibus est expresse petenda praedicta licentia a dictis Patronis vel eorum successoribus, sine



qua licentia rectores vel superiores regulares in praedictis sepulturis aliquem sepellire non possunt, quia de Jure in fundo, in quo quis habet usum, non potest dominus inhabitare, invito usufructuario, *l. Heres 12. ff. de usu et usufructu et habitatione*. Patroni enim prohibere possunt, ne alii in suis sepulchris tumulentur, *l. locum 2. l. familia 5. l. vel quod 7. l. si plures 41. ff. de religiosis et sumptibus funer. l. jus sepulchri 13. cod. ead., Ventriglia loc. cit. n. 3., Barbosa loc. cit. n. 12. et alii*. Extinctis autem Patronis omnibus tunc rectores Ecclesiae seu regulares possunt non solum alios mortuos ibi sepelire sed etiam sepulturam alteri concedere, quia mortuo usufructuario ille usus redit ad proprietatem libere; *l. Corruptionem usufructus 16. cod. de usufructu et habitatione, Sebastian. Medices loc. cit. q. 8. n. 3., Ventriglia loc. cit. n. 3. et alii*.

*Filius familias, dummodo pubes sit et sit sui juris, potest etiam sine consensu Patris sibi libere eligere sepulturam. Communis, cap.: Unaquaeque 4. §.: Exemplo caus. 13. q. 2., cap.: Nos instituta de sepulturis, cap.: Licet 4. eod. in 6. cum similibus; et ratio est quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturae, cap.: Quaesita 12. caus. 13. q. 2., filius familias patriae potestati subjectus non est.*

*Item servus, si pubes sit, potest ex eadem ratione sibi libere eligere sepulturam, quia servitus est de Jure temporali et nequit extendi ad spiritualia: Card. Petra tom. 2. Commentar. ad Constitut. 2. Honorii III. n. 18., Samuel de sepultur. tract. 1. disput. 5. contrav. 1. conclus. 8., Lavorius loc. cit. cap. 11. tit. 2. n. 146., Ventriglia, Panimol., Morga et alii passim.*

*Item sepulturam sibi eligere libere possunt Novitii etiam extra mona-*

*sterium et in alia Ecclesia, quia cum hi possint vivi libere discedere a monasterio et ad saeculum redire, cap.: Consulisti 19., cap.: Statuimus 23. de regularib. cum similibus, id illis debet etiam permitti in morte, arg. cap.: Religiosi 5. de sepulturis in 6., ubi ideo praecise prohibetur religiosis professis eligere sepulturam, quia velle et nolle non habent, ergo a sensu contrario, quia Novitii velle et nolle adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, sine dubio possunt sibi libere eligere sepulturam: Pirkhing loco cit. n. 25., Reiffenstuel loco cit. n. 43., Engel loco cit. n. 12., Donat. tom. 3. tract. 10. q. 4., Armilla verb.: Sepultura n. 6. et alii passim.*

*Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam: Communissima, textu expresso in cit. cap.: Religiosi 5. de sepulturis in 6. ibi: „Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle et nolle non habeant) sibi eligere sepulturam sed sunt apud sua monasteria tumulandi.“*

*Et hoc procedit etiam de Praelatis et Superioribus regularibus; quia licet Praelati habeant aliquod velle et nolle, non tamen proprium et absolutum a regula et constitutionibus sed commensuratum illis et dependenter ab illis, adeoque si regula et constitutiones hoc illis non concedant, standum est juri canonico in cit. cap.: Si religiosi 3. de sepulturis in 6., quod loquitur de religiosis indistincte et universaliter; ubi enim jus non distinguit nec nos distinguere debemus, *l. de pretio 8. de publicana in rem action.*; et verba generalia generaliter sunt intelligenda, cap.: Quia circa 22. de privileg. Tum quia regulares per Praelaturas seu Superioritates non desinunt esse regulares*

et in ipsis perseverat dispositio juris canonici in dict. cap.: *Si religiosi*, quia quamvis respectu suorum subditorum habeant velle et nolle, secus autem respectu suorum superiorum, ut patet de Superioribus seu Praelatis localibus respectu provincialium, de provincialibus respectu Generalium et de Generalibus respectu summi Pontificis. Sic expresse *Donatus* tom. 2. resolut. 51. n. 158. et alii contra multos alios.

*Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam: Communis, textu expresso in cit. cap.: Licet 4. de sepultur. in 6. ibi: „Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam.“ Nisi tamen malitia suppleat aetatem, quia tunc posse sibi eligere sepulturam, tenent *Ventriglia* *l. cit. n. 11., Zerola* in praxi *Episcop. part. 1. verb.: Sepultura §. 1., Sperell. decis. 89. n. 2., Lavorius* variar. *Lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 109; Sebastian. Medic. de sepultur. q. 8. n. 3., Lupus* allegat. 59. n. 2., *Barbos* lib. 2. *Jur. Ecclesiastic. univers. cap. 10. sub n. 27., Didacus Narbona* in tract. de aetat. ad omnes humanos actus requisit. anno 14. q. 4. in princip., *Card. Petra* loc. cit. n. 3. et alii.*

*Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam potest ipsi illam eligere Pater, ubi ad id adest legitima consuetudo: Communis, textu expresso in cit. cap.: Licet 4. de sepulturis in 6., ibi: „Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit, (si consuetudo terrae id habeat) quo voluerit, sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali Ecclesia tumulandi.“*

*Nequit tamen Pater sepulturam eligere Filio impuberi, ubi non adest talis consuetudo, ut expresse loquitur citatus textus, ibi: „Hoc tamen*

non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur.“ Et sic tenent *Barbosa* in cap.: de sepultur. n. 5., *Gratian. disceptat. 94. n. ultim., Bellet. disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Cleric. debitor. §. 3. n. 17., Sperell. decis. 89. n. 3., Pignatell. tom. 7. consult. 21. n. 1., Passerin. de statib. homin. tom. 2. 9. 187. art. 4. n. 270., Matthaeucc. loco cit. n. 25., Genuens. in prax. *Cur. Episcop. Neapolit. cap. 76. n. 4. impress. Venet., ubi tradit, hanc consuetudinem non esse Neapoli; Card. Petra* loco cit. sub n. 9. vers.: Verum, ubi refert, sic in terminis firmasse sacram Congregationem Concilii in Placentina 27. Novembris 1619, in qua respondit ad primum: „Patrem, si legitima consuetudo loci id non habeat, eligere non posse.“ Et sic censuit novissime *S. Congregat. Concil. in Alexanen. Funerum 13. Julii 1743* in responsione ad IV. et V. dubium.*

*Non desunt tamen doctores magni nominis defendentes, quod hodie generaliter et nulla attentata consuetudine permittitur parentibus eligere sepulturam Filio impuberi in quacumque Ecclesia etiam regularium. Sic Ventriglia in prax. Annotat. 52. §. Unic. n. 13., Barb. in summ. apostolic. decis. verb.: Sepultura n. 14., Laurent. de Peirin. de privileg. regul. tom. 3. in fine pag. 570, Samuel. de sepultur. tract. 1. disp. 4. contrav. 1. conclus. 4., Murga disquisit. 9. §. 1. Conclus. 2. n. 4., Nicolius Lucubrat. utriusque *Jur. tom. 1. lib. 4. tit. 15. de interd. n. 21., et videtur facere Rota decis. 16. n. 8. post Antonell. de juribus Clericor. in Casalen. quartae funeralium super bono jure 16. Jan. 1697 coram Eminentissimo Caprara, ubi non requirit licentiam Parochi aut Capituli, et alii, qui omnes se fundant in resolutione S. Congregationis Regularium sub die 20. Januarii 1640 penes Peirin. loco cit., Barbosam loco**



cit. n. 14., *Murgam* loco cit. n. 7., quae sic habet: „S. Congregatio negotiis Regularium praeposita saepius censuit, licere parentibus, in quacunque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, eorum Filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere sepulturam, nec a Parochis locorum impediri posse aut debere; praesertim vero si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchra majorum.“ Et ad id facit decret. S. Congregat. Concil. in Novariens. 15. Martii 1704 in respon. ad primum.

Si adsit sepulchrum majorum in Ecclesia Regularium, tunc, praecisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri, ut declaravit S. Congregat. Concilii in Firmana jurium parochialium ad tertium et in Novariens. 15. Mart. 1704 ad primum, teste *Card. Petra* loco cit. n. 9. in fine.

Facultas permessa Patri eligendi sepulturam Filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius Filii sed solum pendente ipsius vita. *Sperel.* dec. 89. n. 5., *Card. Petra* loco cit. n. 11., *Nicolius* loco cit. tit. 15. de interdict. n. 21., *Murga* loco cit. tract. 7. sect. 2. disp. 9. §. 9. n. 3., *Lavorius* loco cit. tit. 2. cap. 11. sub n. 18., *Aldan.* in Compend. canonic. resolut. lib. 2. tit. 17. n. 5., *Barbosa* cit. cap. 20. n. 28. et in summa apostol. de verb.: Sepultura n. 6., *Ventriglia* loco cit. n. 18., *Diana* tom. 5. tract. 3. de casib. occurrent. tempore mortis resol. 107. circa med., et sic declarasse S. Congreg. Episcop. et Regul. in Fulginaten. 27. Octobris 1587 nempe quod „sepulturam pro Filio minori in vita, non post ejus mortem, potest Pater eligere,“ testantur *Barbosa* in Summa loc. cit. n. 6., *Ventriglia* loco cit., *Lavorius* loco cit., *Aldan.* loco cit. et alii et *Pignatell.* tom. 7. consult. 21. plura adducit dereta ad rem.

Vide tamen *Sperel* loco cit. 5. subdentem etiam sic rescripsisse in una *Montis Pelusii* 6. Junii 1659 sub verb.: Quarta funeralis n. 32. decret. S. Congregat. Concilii in responsione ad 1.

Deficiente Patre potest Mater eligere sepulturam Filio impuberi, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non: *Card. Petra* loco cit. n. 6., *Barbosa* cit. cap. 10. n. 38., *Panimol.* tom. 1. decis. 5. adnotat. 3. n. 24., *Lavorius* loco cit. cap. 11. n. 119. et alii passim. Et declaravit S. Congregat. Concilii in Majoricens., quae refertur in constit. 6. Innocentii XI. §. 6. tom. 5. Bullarii, et adducitur a *Matthaeucco* loco cit. n. 25., ibi: Ad dubium: „An Mater pro Filiis impuberibus possit eligere sepulturam?“ respondit: „Non licere Matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine.“ In *Avellinen.* tamen 15. Septembris 1605 statuit sic: „Etiam Mater, cum Pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere vivente tamen filio;“ apud *Pignatell.* loco cit.

Talis consuetudo pro eligenda sepultura filiis impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate, alias consuetudo particularis alicujus Ecclesiae ceteris ejusdem Urbis Ecclesiis praepredicaret; colligitur ex cit. cap.: *Licet*, de sepulturis in 6., ibi: „Consuetudo Terrae“, et expresse ibid. notant *Archidiacon.* ante n. 1., *Franch.* ante n. 2. et *Ancharan.* n. 3. et alii, *Sperel.* cit. decis. 89. n. 34. cum seq. allegans ad id casus decisos et alios doctores.

Item talis consuetudo debet esse legitime praescripta, quae quoad Patrem sufficit decennalis, cum ipsi assistat jus, in cit. cap.: *Licet*, approbante talem consuetudinem: *Card. Petra* loco cit. n. 7. cum Glossa, *Barbosa*, *Ventriglia*, *Passerin.* ibi allegatis, *Matthaeucc.* loco cit. n. 25., *Sperel.* loco

cit. n. 20. cum aliis ibi adductis et alii.

Quoad Matrem autem, cum jus non assistit, requiritur consuetudo quadragenaria nec sufficit decennalis: *Card. Petra* loco cit. n. 12., *Sperell.* loco cit. n. 20. cum aliis ibi allegatis, *Matthaeucc.* loco cit. n. 25., *Bursat* consil. 226. n. 218. col. 3., *Sebastian.* *Medices* loco cit. q. 8. n. 23., *Moronus* resolut. 51. n. 43. et alii.

Electio sepulturae potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitae; electio enim sepulturae est pars ultimae voluntatis; omnis autem actus ultimae voluntatis sua natura est revocabilis, adeoque etc. *Communis.* Et haec revocatio potest fieri non solum expresse sed etiam tacite per secundam electionem; regulare enim est in actibus causa mortis ut secunda voluntas revocet primum: *Communis.*

Electio sepulturae semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad mortem. Unde si infirmus eligens sepulturam convalescat et postea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longissimum tempus, censetur mori cum electione sepulturae et est sepeliendus in ipsa sepultura semel ab ipso electa, nam illa electio facta non censetur revocata nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non decesserit, sicuti testamentum factum in articulo mortis non infirmatur ex eo, quod testator convalescit: l. fin. et ibi *Bald.* et alii ff. de hered. instit. cap.: *Licet* de Procuratoribus in 6. cum similibus, et in terminis firmavit S. Congr. Concil. 14. Februarii 1666 in responsione ad 3., ut mox infra patebit.

In materia electionis sepulturae valde notanda sunt responsa S. Congregation. Concilii ad infrascripta dubia:

I.: An sit valida electio sepulturae, Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

quamvis sive sanus sive infirmus coram Parocho elegerit?

II.: An ad validitatem electionis sepulturae requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit?

III.: An sit nulla electio sepulturae, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita et non in morte?

IV.: An qui habet capellam suae familiae cum propria sepultura aut capellam erexerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturae electione sepeliendus sit in Cathedrali?

V.: An valide eligatur sepultura coram duobus testibus?

VI.: An electio sepulturae per nutus et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida?

VII.: An confratres sodalitatum, non electa sepultura, possint sepeliri in sepulchro suae Ecclesiae?

VIII.: An electiones sepulturae, quae jure praesumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validae?

IX.: An, qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regularium?

Ad quae sub die 13. Februarii 1666 respondens declaravit, censuit et decrevit, ut sequitur:

Ad I.: Censuit esse validam, dummodo Parochus non testetur ad proprium commodum.

Ad II.: Censuit non requiri necessario testamentum.

Ad III.: Censuit non esse nullam.

Ad IV.: Non sepeliendum in Cathedrali.

Ad V.: Esse validam.

Ad VI.: Esse validam; dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad VII.: Negative.

Ad VIII.: Censuit, quatenus electa